Quæstio Quodlib. agit. In Scholis Medicor. die Iouis 16ª nouembris. M. Nicolao Marchant Moderatore.

# An Tabes Curabilis?



Thorax medius in corpore venter capiendo cordi spirituum vitalium domicilio destinatus à claviculis ad diaphragma (primum respirationis instrumentum) circumscribitur. Hic variis partibus quarum aliæ continent, aliæ continentur constat: continent, costæ integumentumque instrumentorum attractionis aëris et partium vitalium propugnaculum ut et pleura. Continentur mediastinum, pericardium, cor, aspera arteria, pulmo. Pulmonis substantiam spongiosam ut aërem illa adeo facilius attrahat, ad vim caloris cordis contemperandam, vasis duobus intertextam arteria venosa à sinistro cordis ventriculo manante, et vena arteriosa per dextrum cordis ventriculum sanguinem ad pulmonum nutritionem deferente, natura providit.

In utraque thoracis parte lobi duo pulmonis manifesti motus expertes, aliquando vero tertius, sed exiguus sæpe apparet, inter quos cor vitalis naturæ spirituum pericardio obductum carne dura et solida constans positum est: hoc tribus fibrarum generibus rectis, obliquis, et transversis intertextum, caloris fons unde febrium omnium spirituum supra quod considerantur trachea arteria angina tum interna, tum externa sedes, pui [illegible] aëris vectrix, et œsophagus, quorum si non singulis saltem usu ne momento quidem temporis carere licet, hæ partes, ut et cæteræ ob tum situm tum officium varias diversis morbis contra naturam affici possunt, quas tamen robur naturalibus considerantur.

Morbus dicitur esse affectus præter naturam actionem primo lædens, cuius ut recta instituatur curatio, sit ne proprius, et per se an per consensum medico accurate perspiciendum est, hic vero alterius vitio ille proprio partis vitio (interceptis earum functionibus) afficit: sic phrenitis et apoplexia quæ à 40 ad 60 annum invadit ex proprio cerebri affectu, ut et alterius vitio paraphrenitis orta: epilepsia vero quâ senes difficilius, pueri facilius corripiuntur utroque modo solet affligere, sic et morbis thoracis empyema prædicti morbo succedens, et syncope nulli morbo magnitudine, nec periculo secunda, et peripneumonia, quæ si pleuritidi hyeme nimis quam æstate periculosa, nec acidum ructantibus familiari superveniet malum.

Peripneumonia quæ est pulmonis inflammatio morbus proprius esse censetur qui plus habet periculi quam doloris, cuius accedens febre quæ in pleuritide symptomata, lateris dolor, acuta febris, quibus si alvi profluvium succedat, malum: utraque, effectus missione sanguinis, catharticis raro nisi blandis solvitur: quorum nisi purgatio fiat in quatuordecim diebus, ii ad suppurationem vertuntur, quo tempore si non purgantur in tabem transeunt, si vero contra hac morbi species liberantur; cuius suppurationis [illegible] variæ sunt causæ, ut puta vena rupta, vel aperta, vulnus et a capite in pulmones decumbens pituita, ita ad curandum varia remedia partim assumpta, partim admota maturantia, deinde sputum educentia, plurimum possunt.

Tabes in tres species [illegible] scilicet phthisim (quæ est pulmonis cum lenta febre et partium corporis attenuatione exulceratio) marasmum, et atrophiam divisa est, quibus si diligens et opportuna tum victus, tum medicamentorum ratio adhibeatur curabiles. Tabis hæc proponuntur symptomata, facultatis naturalis defectio, caloris vitalis absentia, difficultas spirandi maior nocte quam die dolor, corporis extenuatio, tussis. Cuius insolentis morbi curatio tribus remediorum generibus suscipitur (nisi sputum in tabidis iniecta carbonibus graviter oleat, aut capilli defluant) primo phlebotomia, deinde catharticis, postea detergentibus quales sunt commune, veluti mel, saccharum rosarum, syrupus rosarum laxativus, vel de tussilagine, nec in victus ratione hoc omittetur. His remediorum generibus tabis curatio perficitur.

Ergo Tabes Curabilis

Has asserebat theses discutiendas Philippus Thibault Stempanus. 1589

Dni Doctores disputaturi.

| | | |
|---|---|---|
| M. Philipp. Hardouyn de St Jacques. | M. Ludovicus Dreux. | M. Ludovicus Thibault. |
| M. Joannes Cottereau. | M. Dominicus Borgonius. | M. Albertus le Febure. |
| M. Claudius Fauvelet | M. Julianus Beré. | M. Petrus Brioust. |

BIBL.